



O. i. 810 (1-39).

AD
ORATIONEM PVBLICAM
QVA
GENEROSSISSIMVS IVVENIS
IN
REGIO GYMNASIO ACADEMICO
ALTONANO
A. D. III. KALENDAS MARTIAS
POSTREMVM VALE DICET
AC
DE AMICITIA FOEDERIBVSQVE
INTER
GERMANIAM BRITANNIAMQ VE
COMMVNIS SALVTIS CAVSSA ICTIS
AGET
BENEVOLE AVDIENDAM
QVA DECET OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITANT
REGII GYMNASII ACADEMICI
DIRECTOR AC PROFESSORES
PVBLICI.

ALTONAE
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS BVRMESTERIANIS.

XVI. 16.

AD
ORATIONEM PATERAM
AVO
GENEROSENVS IUNIOR
HIC CIVIS CITTADINVS
ANNO MDCCLXV
AEGIDIO GREGORIO SARTORIUS
EDUCATORI ET CONSILIARI
DE REbus PASTORALIBUS
MOTIVE
CITRUM VITAM ET MORUM
GAY DILECTO DOMINA
TERRAM
DILECTO DOMINA
TERRAM



GERMANI ET ANGLI
IN LITTERARVM STVDIIS AEMVLI.


Germania nostra quamquam paullo tardius barbariem exuit, et ad cultiorem litterarum elegantiam traducta est: Tamen celeriter satis reliquas nationes et assedita est (a) eruditionis laude, et superauit. Vberius id ostensurus DAN. GE. MORHOFIVS erat, uir historiae litterarum peritissimus, si quidem liber erat,
A 2 ius,

(a) Conf. ACTA ER, 1689. p. 287.

ius, quem affectum habuerat, *de Germanorum in rem litterariam meritis*, (b) *supercilioso exterorum opponendus contempsu*, ad maturitatem peruenisset. At ex quo ille tempore rebus e-reptus est humanis, non defuerunt, qui Germanorum famae suppetias ferrent. Illud nos animaduertimus, ut pri-mum lese nostrorum hominum ingenia ad studia transtulerunt, nobilem saepe inter nostros Britannosque aemulationem exstissee. Quae nisi facilis, quam optabile iustumque for-ret, inuidiae obtrestationisque uenenum admireret, nulla sane res tam acres stimulos ad fines scientiarum proferendos subderet. Sed ut (c)

Nihil est ab omni Parte beatum :

Sic suam cuique imbecillitatem, ut homines hominibus, condonabimus, ac de aemulatione Germanorum Anglo-rumque in litterarum studiis, quum iam id agimus, ut ad orationem publicam *de utriusque florenissimae nationis amicitia et foederibus* inuitemus, pauca praefabimur.

Britannorum in Germanos exterisque alios hu-manitas praedicata multis (*) est, ac perhonorifice. Contra ea non dubitarunt alii eam laudem immi-nere. Conqueritur MORHOFIVS (d), *familiare hoc*

(b) Vid. IO. MOLLERI Prolegom. Polyhistori MORHOFIANO praemissa §. LXXXVII, p. 64.

(c) HORAT. Carm. II, 16.

(*) ERASMVS multa in utramque partem. Vid. eius uita a SAM. KNIGHT conscripta. Ac WÄGENSEILIVS in Perae Loc. II. p. 478. *Angli se ipsis et sua gentis mores ingeniaque eximie mirantur. Nihilo feciūs et peregrinos complectuntur, et tanta quidem hospitiale, ut omnium forent pateant cuique, et uix publico opus sit diuersorio.*

(d) Polyhist. litter. T. II, L. II. c. I. p. 141. lqq.

hoc in illa gente esse, inuidere alienae gloriae, sibi omnia
tribuere, aliarum gentium, praeципue Germanorum, studia elcu-
re et contempnere, unde tamen saepe illi multa deprimant, quibus
libri illorum turgeant, quod facile uel integro uolumine demonstrari
possit. Ac aliqua ex parte demonstrasse HENR. STVBBE, ipsum Anglum,
qui libros contra Societatem Anglicam scripsit. Iudicat illustris
Belga, GEORG. RATAL. DOBLETIVS (e), habere hoc
Anglos, quod exterorū ament, et magni faciant eorum uirtutes,
sed quatenus nihil ad se inde redire possit detrimenti. Caeterum
uix quicquam ita arduum credere, cui non se se et suae nationis
uiros, sine exterorum subsidio, sufficere existimat, pronus in inui-
diam aduersus eos, a quibus uinci se uiderint. Neque in alia
opinione ANDR. COLVIVS fuit, qui et ipse in litteris (f)
ad VOSSIVM: Eruditio, inquit, nisi fauore maiorum sub-
nixa sit, tam hic, (in Britannia) quam alibi, iacet. Præcipue
si reperiatur in extero, quem Angli transeuntem amant, remanen-
tem oderunt, utpote metuentes, ne aliquando magnatis alicuius
benevolentia suffultus beneficiis illorum incubet. Et meo iudicio qui-
cunque exterus citra magnam inuidiam sibi pollicetur hic promotio-
nen aliquam, longe fallitur; cum omnes etiam priuatum limis
oculis intueantur. Non possumus, quin hoc loco ingenio-
fissimi pariter et elegantissimi Angli ADDISONI (g), quip-
pe domestici testis, mentionem faciamus, qui popularium
suorum erga exterorū paullo alieniorem animum haud ob-
scure accusat, et quam difficiliter eos admittant, libere ex-
ponit, VIRGILIANVMque illud (h); Vincet amor patriae

A 3

lepi-

(e) Vid. VOSSI epist. T. II. ep. 36. p. 42. LANSII Orat, contra
Britanniam, in Consult. p. 390.

(f) Vid. epp. ad VOSSIVM, ep. 105. p. 74 et 75.

(g) In libro le Spectateur T. III. disc. 3. p. 18. edit. Gall.

(h) Aeneid, VI, 823.

lepine adhibet. Sed fortasse hoc generis humani uitium est, non solius Britanniae. Nusquam gentium non iniuria tabet, odium furit, obtrectatio uigilat, calumnia insidiatur.

In praesenti Anglos Germanosque studia aemulatos esse docebimus. Id ut eo melius appareat, per exempla eundum est. Atque a disciplinis mathematicis exordium capiemus. Non dissimulamus, Anglos multo citius, quam Germanos, animum ad scientias illas sublimes arduasque conuertisse. Quem enim fugit, inter eos iam ab saeculo quarto, ac forte adhuc maturius, litteras floruisse, ingeniaque magna excelluisse. Laudat in iis non unum Mathematicum VOSSIUS (i), WOLFIUS (k), BENTHEMIVS (l). Nos mittamus remotiorem aetatem, ut ad LEIBNITII tempora eo citatiore cursu prouehamur. Huius enim exemplo uiri nullum aliud illustrius reperias, in quo aemulationis studium, et uis, et ira emicuerit. Qui uti sublimiorem illam diuinioremque Geometriam mirifice amplificauit: Sic acerrimum de inuenti calculi gloria, quem *calculum differentialem integralemque* (m) appellant, aemulum habuit Isaacum NEWTONVM, Britannici nominis longe acutissimum Mathematicum. Scissam in partes (n) uidimus utramque gentem. Germania omnis, Gallia, Italia, Heluetia, adeoque cultior Europa una et clarissima uoce LEIBNITIVM inuentorem praedicabat. Neque An-

glus

(i) De scientiis mathematicis, passim.

(k) De scriptis mathem. T. II. p. 1005. sqq. Elem. Lat.

(l) Im Engl. Kirch- und Schulenstat c. 29. p. 786. sqq. edit. anterior. 1732.

(m) ACTA ERUD. 1684. p. 467. sqq.

(n) Vid. NEVFVILLII uitam Leibnitianam Gallice conscriptam, et Theodiceae praemissa p. 146. sqq. FONTENELLII elogium Leibnitian, Germanice uersum, Lipsi, 1720. in 8v. addit. p. 79. sqq.

glus intercedebat. Post Britanni, WALLISIO (o) facem praferente, *methodum fluxionum* suo NEWTONO vindicabant. Neque id sine infamia plagii, quo NIC. FAT. DVILLERIVS, Genevensis, paullo magis dissimulanter, IO. KEILIVS apertissime, nomen Leibnitianum adspergere coṇabantur. Honestissimum possemus ac uiris principibus dignissimum appellare certamen: Siquidem intra priores inducias quieuisset. At quum NEWTONVS tum demum infestissima prodiret acie, ubi LEIBNITIVM iam fato functum cognorat, ac uehementissimum faceret impetum, ex quo ille iam mortalem arenam reliquerat: Profecto uir magnus impotentioris animi suspicione non caruit. Quanto maiori animi excelsitate ipse LEIBNITIVS de BAYLIO, quem uiuentem aduersarium habuerat, postquam naturae debitum (p) persoluerat, VIRGILII LVCANIQUE uersus repetit :

*Candidus insueti miratur limen Olympi,
Sub pedibusque uidet nubes et sidera Daphnis. (q)
--- Illic postquam se lumine uero
Impleuit, stellasque uagas miratus, et astra
Fixa polis: Vedit, quanta sub nocte iaceret
Nostra dies. (r)*

No-

(o) In praefat. T. I. Opp. Mather.

(p) Discours de la conformité de la foi avec la raison §. 87. p. 69.
Il est à espérer que M. Bayle se trouve maintenant environné de ces lumières, qui nous manquent ici-bas; puisqu'il y a lieu de supposer qu'il n'a point manqué de bonne volonté. Candidus etc.

(q) VIRGIL. eclog. V, 56. 57.

(r) LVCANVS IX, 11, 12, 13, 14.

Nolumus commemorare, aemula LEIBNITII NEWTONIque ingenia *in orbibus planetarum describendis* (s) elaborasse; de *quantitate motus* (t) in diuersas abiisse partes, et hanc Angliam secutam, illum reliquam fere Europam; denique motu animorum paullo vehementiore abreptos ad alia labi coepisse. At LOCKIVS nobis est MOLYNAEVs que nequaquam tacendus, qui argumentum illustrare nostrum pulcre poterunt. Exarauerat LEIBNITIVS meditationes in opusculum Lockianum *de intellectu humano*, et ad Anglum perferri curauerat. Quam inique autem, neque sine apertis aemulationis aut inuidiae indicis uterque de summis meritis celeberrimi cuius nostri existimari, id colligi facile poterit, ubi quis celeberrimi uiri, ac ueris in rem litterariam meritis nobilitati, quidquid obnunciet obtrebat, I. C. GOTTSCHEDII (u) *commentationem de iniquitate exterorum in ferendo de eruditis nostris atibus iudicio*, consuluerit. Neque enim loca tantum ex epistolis Anglorum excerpit, quibus locis ad controuersiam dirimendam opus erat;

(s) ACTA ERVD. 1689. p. 82. it. 1720. p. 137. ubi hic locus praeter cetera memoria dignus: *Quodsi amici Leibnitii eodem modo cum Newtono agere uellent, quo eius affectae cum Leibnitio a-gunt, non decessent, quae cum ratione retorquerent tela. Cum enim Newtonus uocat per contemptum Leibnitium secundum inuen-torem methodi fluxionum; ipsum dicerent secundum inuen-torem orbitae cometarum, quippe cum prior apud nos eandem inuenierit ac publicarit Doerffelius. Et licet facile largiamur, Newtonum scriptum Doerffeli Germanicum non legisse; in toto tamen inuento nihil continetur, quod non desuntum sit ex Kep-leri atque Heuelii Germanorum scriptis.*

(t) ACTA ERVD. 1686. p. 161. Conf. NEVFVILLE l. c. p. 216.

(u) Lips. 1734, 4t. cum munus Logicam et Metaphysicam publice docendi auspicareatur.

erat ; Sed ipsas simul animaduersiones LEIBNITII, id est, modestissimum pariter atque accuratissimum de operre LOCKIANO iudicium inseruit. (*) Poterat aliud inuentum non minorem gloriae cupiditatem accendere, nostramque ac Britannicam gentem facile acri pugna committere, si patrum memoria inter eruditos tam frequens litterarum commercium fuisset. Constat inter omnes, repartae gloriam scientiae logarithmorum uulgo IO. NEPERO, Scoto, adsignari. At si suo ille Marte rem inuenit, Germanus certe pluribus eum annis anteuerterat, ipsumque artificium publicarat. Nam IO. GE. HERWARTVS (w) ab Hohenburg, a sanctioribus consiliis Ducis Bauariae, uir antiqua nobilitate, iam A. C. clo lo CX. Monachii tabulas arithmeticas in lucem emiserat, quarum ope, qui numeri per multiplicationem conficiendi erant, addendo inueniri posse docebantur. Quid ? quod celeberrimus Noricorum Mathematicus, IO. GABR. DOPPELMAYR (x), demonstrauit, primum omnium logarithrorum inuentorem IV-STVM BYRGIVM, Heluetium, Principis Hassorum Mechanicum, qui inde ab saeculo XVI. iam florebat, merito existimari. Iam si nostri ciues aemulandi studio commoti NEPERVM arguerent, a Germanis mutuatum esse, quod ille suopte acumine reperiisse uisus est : Profecto non habituri essent illi, quod magnopere quererentur, nisi Leibnitiana cauſa cadere simul uellent. Sed ex Astronomia quoque documentum aemulationis petamus. Magna certe

B

hanc

(*) Vid. Lettres sur les Anglois de Mr. VOLTAIRE nr. 13. p. 69. et compara cum scripto LEIBNITIANO. Habebis illuc Poetam, hic Philosphum de LOCKIO sententias ferentem.

(w) Vid. WOLF de script. mathem. c. 2. § 16. DOPPELMAYR von den Nürnb. Mathem. p. 88. lit. f. BAYLE Dict. Hist. et Crit. voc. Herwart.

(x) Von den Nürnbergis. Mathematicis p. 163. lit. g..

hanc in disciplinam Anglorum merita sunt. At nisi omnia
nos fallunt, neque amor nostri animum perturbat, Ger-
manorum adhuc maiora. Atque illi demum tot nostro-
rum ciuium immortalibus facinoribus accensi, tamquam
Themistocles Miltiadis excitatus tropeis, ad maiora moli-
enda fese, neque infeliciter, uidentur accinxisse. Quod
ipsi ROL. MARESIO, Gallo satis arrogant, aciem pre-
strinxisse uidetur. Is enim ad BVLLIALDVM hanc in
sententiam (*) scriptis: *Multi rerum cœlestium cognitione pœ-
cipue spectabiles fuerunt.* Inter quos plane mirandum est, Regio-
montanum, Copernicum, Tychonem, Braheum, homines Germa-
nos Cimbrosque sub Septentrione, caelo nubilo, multa priscis inco-
gnita in siderum scientia perspexisse. Nihilo secius ROB. HOO-
KE (y) officere gloriae laboribusque magni HEVELII con-
nabatur, eiusque instrumenta minus exacta esse contendis-
set, nisi aequiora HALLEII BVLLIALDI que iudicia, quo-
rum uterque profectus Dantiscum fuerat, uiri famam ab
obtrectatione defendissent. Antequam ab rebus mathema-
ticis animum cogitationesque alio conuertamus, lubet pau-
cis methodi geometricae mentionem facere. Relatum le-
gimus (z) THOM. BRADWARDINVM, Anglum, ea u-
sum in rebus theologicis, peritissimum scientiae mathe-
maticae saeculo XIV. uirum, quippe cum iam A. C.
clo CCCXLVIII. diem obierit. Integrum nobis nequa-
quam est iudicare, quam exakte uersatus in argumento
theologico sit, quamque γεωμετριας illud pertractarit:
Prop-

(*) Epist. philolog. L. II. cp. 48. p. 486.

(y) Animaduersioribus in T. I. Heuel. Vid. WOLF de script. Mathem.
c. 9. §. 3. et in den Anfangsgr. von den Math.-Schriften, § 204. p. 119.

(z) BENTHEM im neuersachten Engl. Kirch- und Schulen-Statt c. 29.
§. 66. p. 856.

Propterea quod scripta uiri summi ad manus non habemus. At in memoriam uenit sat opportune illius quaestioneis, quam superiore anno a nescio quo in medium allatam (aa) scimus : *Quis omnium primus methodo Geometrarum scriptum aliquod theologicum exarauerit?* Relinquamus hanc Anglo laudem, quod forte inter primos, uel certe ante Germanos, periculum fecerit, quo pacto ueritates caelestes in ordinem mathematicae ~~anq[uest]ionis~~ redigeret. Neque enim de ueris aliorum meritis detrahere cupimus. Enim uero nec illa Germanis laus, si uel iniquissimi sedeant iudices, abiudicari poterit, eos et indolem methodi, TSCHIRNHAWSIO (bb), LEIBNITIO (cc), WOLFIO (dd) ducibus, quam accuratissime anquisiisse, quam fieri poterat maxime perspicuis praecceptis exposuisse, ac summo ingenio ad Philosophiam diuiniorumque paullatim doctrinam transtulisse, atque ita longo post se interuallo reliquas nationes omnes reliquisse. Sustulere igitur in primis Germani signum, ac uberrime dederunt, quod alii aemularentur.

Ab studio mathematico, quod nimis diu nos tenuit, et Geometrarum docendi ratione ad humanitatem litterarum ac Latinitatem progredimur. Qua in re utrum Angli magnopere praececelluerint, alii iudicent. Nos quomodo inficias ire nolumus, elegantiores litteras in Britannia etiam illa tristi barbaraque aetate scintillulas (ee) interdum emisisse : Sic persuasum habemus, hoc in

B 2

stadio

(aa) In den Hamb. Berichten von gelehrten Sachen, 1742, nr. 47. p. 382.

(bb) In Medicina mentis.

(cc) ACTA ERVD. 1684. p. 537.

(dd) In Opp. Mathem. Latin. et German.

(ee) Vid. BENTHEM l. c. cap. 24. §. 13. p. 412.

stadio Anglos nostrae gentis studia esse parum obscure
aemulatos. IOANNIS enim STVRMII, Argentoraten-
sis, merita in meliores litteras quum Europam fere omnem
peruagarentur, exortus repente ROG. ASHAMVS (ff)
est, qui ciues suos hoc casti sermonis amore imbueret, at-
que inflammatus ipse Germaniae exemplo ad humanita-
tem uocatae, tam insigne, tamque diuinum beneficium
etiam in Britanniam suam conferret. Testes utriusque
sunt epistolae, quas in manibus habemus. Testes alia
monimenta litterarum, quae rerum gestarum memoriam
conseruant. Quodsi Belgas quoque, id est, inferioris Ger-
maniae incolas referre in nostras tabulas liceret: Magnus
ERASMVS (gg) non silentio a nobis praetermitteretur,
qui multis Anglorum ueternum excusit. Nostri autem
MELANCHTHONIS merita profecto lumen suum ualidius
diffudere, quam ut Britannia aemulationis plane expers
esset. Sed reuocandus ab argumento ampliore ac satis lubrico
paullatim animus cogitatioque est. Itaque quanta fieri
breuitate poterit, duas adhuc res commemorabimus:
Historiae philosophicae studium, rationemque ser-
mones sacros exarandi. Vtique in genere non elabo-
rarunt modo Germani Britanniique; Sed certare quoque,
et alteri alteris palmam praeripere uisi sunt. Quod ad
res doctrinamque Philosophorum, sine dubio nostri ciues
hanc historiae partem primi collustrarunt. Sed uti ori-
gines rerum plerumque tenuiores sunt: Ita habuit STAN-
LEIVS, Anglus, quod adderet, limaret, perficeret, ex-
pur-

(ff) Vid. idem l. c. cap. 29. §. III. p. 916.

(gg) Vid. Vitae duum uirum clarissimorum ERASMI et COLETI, a SAM.
KNIGHT scriptae, et 1735 ac 1736. Lipsi, nostra uernacula editae.

purgaret. Ab eo autem tempore, quo diligentissimus vir huic studio se addixerat, quanta est, Deum immortalem! accessio facta? Quis GODOFR. OLEARII (hh), IAC. THOMASII (ii), GVNDLINGII (kk), MOSHEMII (ll), HEVMANNI (mm), qui omnes in ornamentum nominis Germanici nati, quis quaeso eorum aliorumque merita oratione adsequatur? Ac IAC. BRVCKERVS, vir clarissimus, tantum inter scriptores historiae philosophicae iam eminet,

Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Bonis igitur, quod aiunt, aibus Angli nostros homines primum aemulati sunt; Nostri rursus illos hoc in circu ui-
cerunt. Quod quidem praestantissimi populi gloriae frau-
di non erit. Nam aliis in rebus delectantur Germani, ac
delectantur fere plus, quam consultum uidetur, lumen
suum de Anglorum lumine accendere. Quod exemplo
sacrarum orationum declarari potest. Ea enim ab aliquo
tempore opinio inualuit, ut nemo facile sibi aliisque sati-
faciat, nemo probabilis utilis orator uideatur, nisi argu-
mentum, partitio, demonstratio, elocutio, omnia deni-
que, sapere Angliam uideantur. Non ueremur, ne
quisquam hac de re addubitet. Latius grassatur, quid-
quid est hoc morbi, quam ut vim suam occultare queat.
Neque poterunt ciues nostri negare, Anglorum se aemu-

B 3

los

(hh) In Diff. ad Stanleium.

(ii) In Diff. de exustione mundi Stoica, et aliis.

(kk) In Tr. de hist. Philosoph. mor.

(ll) In System, intellectual. Cuthworthi et Hist. Eccl.

(mm) In Actis Philosoph.

Ios saepe esse malle, quam suo ipsis ingenio uti, suorum coetuum rationem habere, ad sua se tempora, locum, homines accommodare. Quodsi cogitarent multi, neque se iudicio aut doctrina pares esse uenerabilibus illis Britanniae luminibus, neque ratiocinandi ui adsequi eorum acumen posse, neque tanta eloquentia pollere, ac disparest ualde auditores habere, neque cum iisdem aduersariis necessario configere: Insanus imitandi, quid? aemulandi etiam pruritus facile cessaret. Sed haec siue querelae, siue reprehensiones poterunt ad aliam opportunitatem referuari.


In praesenti mittamus aemulos Anglos Germanosque; amicos eos sociosque consideremus. Illud quidem fertur in re litteraria, ubi nihil sanguinis effunditur; Hoc in re ciuili, ad salutem utriusque gentis, ac totius Europae, optatur etiam. Illud, nisi modestia profligatur, ueritas uulneratur, animi exacerbantur, prodest nonnumquam ad incrementum cognitionis humanae; Hoc aliquoties res Europae turbidas tranquillauit, pacem restituit, aut firmauit, populorum libertatem ac religionem in tutto collocauit. Amicitia igitur inter Germaniam Britanniamque dignum est oratore iuene argumentum, qui discessum ex hac urbe parat, et ualedicendi prius officio, quemadmodum par est, defungi cupit. Etenim florentissimus iuuenis, priscae idem ueraeque nobilitatis, maiorumque decoribus insignis, ac propria erectae indolis ornamenta ostentans


AN.

ANDREAS WEDDIG DE ZASTROW,
Luneburgensis,

Viri Perillustris, LVDOVICI DE ZASTROW, qui Magnae Britanniae Regis ac Principis Electoris Hanouerani in militia delectam cohortem Praefectus (*) ducit, ac SOPHIAE AGNETIS gente BERNSTORFIAE, filius unicus, consenuit Parentum in animo habet, academiam petere. Peregit inter nos biennium ea uitae honestate, ea morum tranquillitate, elegancia, suavitate, ut nemini molestiae, omnibus in deliciis esset. Dixit semel publice in lustratione iuuentutis nostrae cum laude et oblectatione auditorum, quibus tum nomine publico gratias egit: Idque uernacula. Iam *de amicitia foederibusque orabit, quae Germani Britannique communis salutis ac libertatis tuendae causa diuersis temporibus percusserunt.* Dies huic rei auctoritate spectatissimorum Dn. SCHOLARCHARVM a. d. III. Kal. Martias fixus est. Nos ut iuuenem optimum bonisque omnibus merito suo carissimum secundissimis omnibus uotisque prosequemur: Sic Maecenates, litterularumque nostrarum ac studiosae pubis amatores, pro eo ac decet, rogamus, ut oratori nostro postremum uale dicturo dare operam, beneuoleque audire eum ne dedignentur. P. P. Dom. Quinquages. c^{lo} I^o CC XLIII.

(*) Galli Brigadier appellant.





01 A 6519

ULB Halle
002 928 736

3



Skt. 7 = Zschr.


5b.

Rubr. ✓

K



B.I.G.



AD
ORATIONEM PVBLICAM
QVA
GENEROSISSIMVS IVVENIS
IN
REGIO GYMNASIO ACADEMICO
ALTONANO
A. D. III. KALENDAS MARTIAS
POSTREMVM VALE DICET
AC
DE AMICITIA FOEDERIBVSQVE
INTER
GERMANIAM BRITANNIAM QVE
COMMVNIS SALVTIS CAVSSA ICTIS
AGET
BENEVOLE AVDIENDAM
QVA DECET OBSERVANTIA ET HUMANITATE
INVITANT
REGII GYMNASII ACADEMICI
DIRECTOR AC PROFESSORES
PVBLICI.

ALTONAE
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS BVRMESTERIANIS.

XVII 16